

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


**Nobilissimo Amplissimoque Viro Dn. Johanni Samueli Heisterman de Zielberg/
ICto. ... Et ... Virgini, Mariae Elisabethae Kielmanniae, Sponsis Elegantissimis
Feliciter**

Slesvigae, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766336646>

Druck Freier  Zugang





1883 21 Februar

McL 1-12.
1-51 <R>

77

27

NOBILISSIMO AMPLISSIMO QUE
VIRO
D.N.

JOHANNI SAMUELII
HEISTERMAN

de Ziellberg/
JCTO.

Sereniss: Slesvici & Holsatiæ Ducis FRIEDERICI,
Patris Patriæ Consiliario Aulico, & per provinciam Eiderostadiam
Præfecto vigilantissimo,

E T

NOBILISSIMÆ, LECTISSIMÆQUE VIRGINI,


MARIAE ELISABETHÆ
KIELMANNIÆ,

SPONSIS ELEGANTISSIMIS
FELICITER.



SLESVIGAE,

ANNO M DC LII.





Ad Nobilissimum & Amplissimum SPONSUM
PRÆFATIO.

Cum pateras alii Vobis, atq; aurea donent
Pocula, Mentoreâ nobilitata manu,
Myrrhina, & Eois distincta monilia gemmis:
Addant augendis verba benigna thoris.
Hic ego quid faciam? quæ, SPONSE, gamelia mittam?
Queis liceat thalamum condecorare tuum.
Fortunam exutiam? jam non licet esse clienti:
Hunc animum? pridem se dedit ille Tibi.
Quod supereft, si non sordet Tibi musa poëtæ,
Atq; aliquod precium carminis esse putas:
Post tot Phidiaci preciosa toreumata cæli,
Quæ possint ipsum conciliare Jovem;
Accipe devotum Tibi pectus, & accipe musas:
His etiam precium mens generosa facit.
Munera fortunæ, quibus est: ego carmina venæ
Pauperis, obsequii pignora mitto mei.
Quæ si animo admittis placido, Tibi lecta putabo:
Lætus ero, & credam me meruisse legi.

A 2

Nam

Nam quis erit tandem jungi connubia fato
Qui neget, & casto ludere in igne DEUM?
Quos juga Sylvarum, dirimunt quos flumina & amnes,
Hos thalami sanctus cogit & unit amor.
Albim saepe bibit Juvenis, bibit accola Rhenum
Virgo, peregrinum mox subitura thorum.
Scilicet unanimas conjungunt Numinis mentes,
Et liciti flamas semper amoris alunt.
Testis eris, SAMUEL, Bremæ florentis ocellæ,
In cuius thalamum Cimbrica Nupta venit;
Quæ Patriæ cunctis radiat prælata puellis,
KIELMANNI MARIE sanguinis illa decus.
Sic fatis placitum: stant legibus omnia fati;
Scilicet & casto est dux in amore DEUS.
JANE, cui faciles nent candida stamina Parcæ,
Et jungit niveam Cimbrica Nympha manum;
Liber eras, vacuo & gaudebas vivere lecto;
Jucundus Patriæ, principibusq; viris.
Et modo Socraticæ fallebant tædia chartæ;
Semper enim cælebs tædia lectus habet.
Juvit & Astrææ lucri nullius avaræ,
Et Menti ingenuo corde litare bonæ:
Juvit & autores flammæ coluisse Camænas,
Atque togæ socias asseruisse Deas.
Hicmodus, hic vitæ tenor, & tranquilla voluptas:
Non alio aptabas liber amore capi.
At Tibi nunc mites aliò vertuntur amores,
Præq; novem Musis una puella placet:
Et Themidi thalamos præfers, & molle fateris
Pectus, & humani sanguinis esse Tibi.
Mira fides, quem non primævo flore tumentem
Visa Cupidineis terra Batava plagis,
Gallia blanditiis nec cepit, & illice vultu,
Sit licet Idaliæ tota dicata Deæ:
Accendit tetigitq; Virum subjecta Bootæ,
Et Boreæ cedens Cimbria terra suo.
Cimbria Te cepit, tot pulchris inclyta formis:
Illa Tibi Nuptam contulit, illa larem.
Quis nunc præcipiti volvi putet omnia casu,
Ac non cælesti fata venire viâ?

Dum

Dum Cimbras doctis Veneres venaris ocellis,
Ut collo invenias brachia digna tuo,
Obtulit intento dulcem KIELMANNIA vultum;
Atque oculos, totus quos habitabat Amor.
Protenus occultis teperunt pectora flammis,
Et subitos motus mens generosa tulit.
Forma placet, niveusq; color, flaviq; capilli,
Quiq; aderat nullà factus ab arte decor.
Et castigatae divina modestia frontis,
Et facies coeli digna favore fuit.
Singula dum subeunt, penitas est flamma medullas;
Ut solet infuso crescere flamma mero.
Scilicet absentes vis acrior afflat amantes,
Nec spatio fidus debilitatur amor.
Ah quoties gelidum venisti puppe per Albim,
Ardoris quærens quæ medicina foret.
Non Albis tantos potuit sedare calores:
Una fuit morbi Nympha medela tui.
Hanc petis, hanc toto suspiras pectora tecum,
Et genus est certè formaq; digna peti.
Ah quoties animo præsentem amplexus Amicam;
Et desiderii justa querela fuit:
Respicias nostros, MARIE ELISABETHA, labores,
Nec mihi crudelis; blanda puella, veni.
Nil mihi cum Theseo, nec curvo in littore Naxi
Vela per Oceanas ire videbis aquas;
Solaq; nequicquam volucres testata marinas,
Perfidiam rupta veste querere meam.
Accipe, daq; fidem, quid gaudia nostra moraris?
Fidus ero, in nostros curre puella thoras.
O niveam, quæ nos poterit conjungere lucem!
O mihi felicem terq; quaterq; diem!
Illa quidem ut sensit se tam constanter amari,
Non minus occultis ignibus ardet amans;
Teq; sibi lecti comitem de millibus unum
Deligit, atque uni bella placere cupit:
Non aliis animum juvenilem saucia curis,
Pectora non aliis tacta cupidinibus.
Nimirum Aeëta sic quondam filia regis
Duxit Colchiacis otia læta jocis:

Nescia curarum, donec formosus Jason
Sollicitam multis cæpit habere modis.
Tantum optat nitidam cælo procedere lucem;
Transeat in thalamum quâ nova Nupta tuum.
Ecce dies venit, geminos quæ jungat Amantes,
Lætior, & festas inter habenda dies.
Conveniunt castæq; nurus, teneræq; puellæ:
Omnis cantat Hymen ò Hymenæ domus.
Atria Principibus radiant, & summa Potestas,
Et populus votis ominibusq; favet.
Ipsa manu Nuptam mater Cytherëa dicit;
Ipse Amor accensas percutit antè faces.
Si faciem spectes, nihil est nisi virgine dignum;
Et roseus niveo lucet in ore pudor.
Si mores animi, leges perferre maritas,
Et soli discet posse placere viro.
Ergo felicem merito Te dicimus omnes,
Cujus in amplexus tam bona forma venit.
Dicimus & felix, decus hoc cui contigit, ævum;
Non est quod placeant secula prisca sibi.
Dent Superi porro quicquid pietate mereris,
Et rata perpetuò, quæ tribuere, velint:
Longius ut niveum teneant tua brachia collum;
Cujus ab aspectu luminibus; peris.
Scilicet est aliquid castam exorare puellam,
Et sua tam dulci subdere colla jugo:
Inter & humanæ curas & commoda vitæ,
Ambrosiis animum pascere suaviolis.
Mortales vani! quid toto currimus orbe,
Ult bibat è gemmâ divite nostra sitis.
Hic dominos fasces sibi vindicat atque secures,
Hic gaudet lituos & fera bella sequi:
Per stragos castrorum, hominum per funera famam
Quærens, & miserans, quas male perdat, opes.
Hæc alii cupiant: liceat tibi, JANE, perenne
Securo optatâ conjugé posse frui;
Inq; si nū longas geniali fallere noctes,
Et thalami ingenuas capere delicias.
Dulcius hoc, omnis quam sternere viribus hostes,
Et melius Marte prælia miscet Amor.

Prælia

Prælia Vos gemini, Vos soli bella geretis,
Cumq; voles, subitâ pace coibit amor.
Tessera veltra fides, spolium mox basia, murmur
Classica, tela furor, gloria lusus erit.
O Par aureolum, quæ quondam sidera fas est
Dicere natalem concelebrasse tuum!
Horrida tempestas belli desæviit, urbes
Pax fovet, & pleno copia larga sinu.
Omnis inoffensis arridet amotibus æther,
Et Natura tuo plaudit amæna thoro.
O vitæ sincera quies, & pura voluptas!
O nivei soles purpureiç; dies!
Juno jubet faciles Vobis procedere menses,
Et sua diffundit munera flava Ceres.
Alma Venus lecto pulvinar sternit, & omnem,
Quà venit, Assyrio spargit odore domum.
Blanditiæ, & teneri circum palantur Amores,
Assiduè Paphias turba secuta rotas.
Lanificæ juxtâ concordi lege puellæ,
Felici thalamo mollia pensa trahunt:
Nominaq; intexunt fatali dulcia peplo,
Solvere quæ casus, nec queat atra dies.
At domus interior Casiâ diffunditur aurâ,
Spumat & auratis jugiter in cyathis
Flos veteris, patrum signati ætate, Falerni,
Ingentesq; addit Semideis animos:
Heroumq; manus teneris permista puellis,
Atria festivis per volitat pedibus;
Passim plaudentes, passim choreas ducentes,
Auricomo donec cedat ab axe dies.
Hic fuit ille dies: noctem canat ipse maritus:
Cras hilari noctem, quà licet, ore canet.
Interea occiduis tollens jubar Hesperus undis,
Qui Veneris roseas excubat ante fores,
Instat, & ominibus SPONSIS vel mille petitam
Cæruleis noctem portat anhelus equis.
Jam pueri tædas properant præferre jugales;
Jam cantant vestris non aliena jocis.
Quin ades hic Hymenæ, boni jungantur Amantes,
Prima quibus lusu nox vigilanda venit.


Huc

Huc ades, hora vocat, SPONSIS sua tempora currunt:
Non potes officii dememinisse tui.
Ecce vocatus adest, Tyrio insignitus amictu,
Evincit nitidum myrtea ferta caput:
Atque tenens dextrâ faculam, cestumq; sinistrâ,
Fatidico hos Nuptis edidit ore sonos.
Felices animæ, natæ felicibus horis,
Quas amor irrupta necit utrimque fide:
Este unà, & totâ pariter producite vitâ
Alternum hoc sanctæ foedus amicitiae.
Sidera non lusus tacito palantia cælo,
Oscula nec conchæ vincere vestra quæcant.
Hinc ut mox dulces veniant, gens parva, nepotes,
Indelibati pignora conjugii:
Quæ patrium nomen patriâ virtute propagent,
Et cumulo mactent semper-honoris Avum.
Mutua vita data est; hanc reddere pergite, vestrum.
Duret ut æternâ nobilitate genus.
Et quodcunq; mali est, & quicquid triste timetur,
In pelagus refugis evchat Albis aquis.
Tædifer hæc, sancto connectens pectora nexu,
Musarum unanimi dicta probante choro.
Quæ Venus, & Veneris puer, & matrona Tonantis.
Ivit in æternis scribere corticibus.
Evenient. Paphii resonum claxistis olores,
Et Charitum niveæ concrepue manus.

In fidem summæ observantiæ, adeoq;
cultus ac clientelæ
L. M. Q. facieb.

Johannes Mejerus, Philos. M. P. L. C.
Illustris Gymnasii Bordsholm;
Pro-Rector.





ferunt ex optatisimi nati! Et quid de filiabus Tuis dicam,
ui & seculi ornamentis? quæ & ipsæ nobilissimas familias, ge-
sanguine in novas inclytasq; stirpes succrescente, illustrant? In-
prima, MARIA ELISABETHA (quæ lux & gloria fœmina-
generoso Dno JOHANNI SAMUELI HEISTERMANNO
LBERG collocata. HEISTERMANNUM autem cum dico,
ntum aliquod exemplum in omni cultu civili ac habitu perfecti
co. Ita enim in eum, & morum concinna Suavitas, & rerum
darum cum variâ eruditione peritia, atq; eximius planè animi
or confluxerunt, ut quâ parte horum magis mereatur æstimari,
le oppidò sit decernere. Ego certè ab ipsis planè Gratiis elabora-
sse virum judico. MARIÆ ELISABETHÆ natu proxima
A MARGARETA, è celebratissimâ BROCKTORFIORUM
GUARDO WOLFGANGO, heroï strenuo nupta.
citas est SOPHIÆ AUGUSTÆ, natu in hâc pul-
minimæ, quæ WOLFGANGO BLÜCHWALDIO,
pis generosissimæ propagini sociata, extendere in se-
m prosapiam, & novas ac eminentiores in eam virtu-
promittit. Sunt hæc profecto bona omnia tanta, ut
n commemorationem oratio mihi vix suppetat, de-
tq; succubitura, si pro dignitate singula exornare in
n esse. Retribuit DEUS pietati Tuæ, Exellen-
, quando inter medios fragores bellicos, inter alter-
nirabiles & periculisissimas vices, inter invidorum,
lorum insidias, odia, crudelissimasq; minas, Te ani-
fractum, integrâ gloriâ, florente famâ, constante
erum ac populi favore, dignitatibus salvis & insuper
vit, servavit, munivit, atq; ita evexit, ut vix amplius
us divina illa faventia potuisset adstruere. Tu intereà,
Domine, inter tot ac tanta Tibi propria decora atq;
hil abis à pristinâ tuâ humanitate, & verecundiâ ac
à modestiâ. Quæ maximus Princeps, quæ Patria, quæ
Atlantéis tuis pro communiegregio exhaustis labori-
ependere, & promptissimâ manu Tibi tuisq; offert
n non nisi trepidè atq; cunctanter, hæsitans ac multum
n, ut modestissimi solent, admittis. Quæ res profecto
m in ejusmodi admirationem rapit, ut agnosceret pa-
inter omnes divini animi tui dotes, omnia decora,
se maximum, quod publico natus factusq; bono
ædicari malis. Sunt omnia, quæ hactenus de Te
mihi

